

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4043

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : La Bonneville-sur-Iton, Notre-Dame de La Noë (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1207

Lieu d'émission : Pacy-sur-Eure

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [II], roi de France, reconnaît l'acte d'Amaury Le Poulet par lequel il ratifie l'accord conclu entre son père Guillaume Le Poulet et l'abbaye de la Noë au sujet de droit d'usage dans le bois de Glisolles.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1089, p. 292-293.
- b. Boussard Jacques, Monicat Jacques, Samaran Charles, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 3, années du règne XXVIII à XXXVI (1er novembre 1206-31 octobre 1215), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; 7), 1966, n° 998, p. 52-54.

Dissertation critique

1207 octobre : datation proposée par BOUSSARD/SARAMAN/MONICAT, *Recueil des actes de Philippe Auguste*, t. 3, p. 49, n. 1.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ph., Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, sicut ex autentico scripto Almarrici Pulli, filii quondam Guillelmi Pulli, cognovimus, cum esset controversia inter abbatem et conventum de Noa, ex una parte, et Guillelmum Pullum, patrem ejusdem Amalrici, ex alia, super usagiis et consuetudinibus et libertatibus quas habebant vel se habere clamabant in boscis de Glisoliis, qui fuerunt Willelmi Harenc et Basilie de Glisoliis, scilicet mortuum nemus ad calefaciendum, et vivum nemus ad edificandum et faciendum sepes et clausuras, et pasturas omnium animalium granchie sue de Jumellis, tandem pacificata est in hunc modum: videlicet quod dictus abbas et conventus de Noa quitaverunt in perpetuum dicto Guillelmo Pullo et heredibus ejus consuetudines et libertates et omnia que habebant et clamare poterant in boscis de Glisoliis, que fuerunt Willelmi Harenc et Basilie de Glisoliis, et, propter hanc quitationem, dictus Guillelmus Pullus dedit et concessit dictis monachis de Noa vinginti acras nemoris quod emit de Willelmo Harenc ad faciendam voluntatem eorum, tam de bosco illo quam de terra, et preterea dedit eis decem libras turonensis monete. Insuper predictus Guillelmus Pullus concessit dictis monachis in perpetuum elemosinam totum tenementum quod Basilia de Glisoliis dedit eisdem monachis, quod a principio terre monachorum, juxta viam per quam itur de Glisoliis versus Oissel, tendit usque in fundum vallis versus terras de Coldreio per ultra Tres maras, et per metas et fossata que facta

sunt in eadem divisa a fundo vallis predictae usque ad principium terre monachorum supradictum. Concessit etiam dictis monachis quicquid juris habebat dicta Basilia in tribus acris terre quas tenebat de feodo suo Johannes de Britonaria infra metas monachorum, ut ipse Johannes faceret monachis tanquam dominis suis quecumque pro terra illa facere solebat et debebat. Concessit etiam eisdem monachis totum nemus et totam terram et feodum Wimar, et unum hospitem apud Britonariam quem Willelmus, presbiter de Oissello, tunc decamus, eisdem monachis dedit, pro quibus tenebantur monachi reddere dicto Guillelmo Pullo et heredibus ejus annuatim tres solidos. Concessit etiam eisdem monachis decimam illam quam Hugo Branchardus emerat a Haois de Chissendoniam et a filiis ejus apud Tornedos, et unam acram terre de dono Tecie de Oissello, et unam acram terre de dono Radulfi Bolengerii, et unam acram terre de dono Roberti de Britonaria, et unam acram terre de dono Auberee Haha, et duas acras terre de dono Gilleberti Claudi, pro quibus duabus acris dicti monachi tenebantur reddere dicto Guillelmo Pullo et heredibus ejus duos solidos et duas gallinas annuatim. Concessit etiam unam acram terre que fuit de dono duorum hominum de Coldreio, scilicet Gilleberti et Gaufridi, de qua ipsi monachi debebant reddere annuatim Guillelmo Pullo et heredibus ejus unum quarterium avene et duodecim denarios. Concessit etiam dictis monachis decem acras terre de feodo Roberti Postel, de quarum quinque ipsi tenebantur reddere dicto Guillelmo et heredibus ejus sex solidos annuatim, de illis scilicet quinque acris quas acquisierunt de Joscelino Maquerel. Hec autem omnia memoratus Willelmus Pullus concessit dictis monachis habenda et possidenda libere et quiete, exceptis sex solidis turonensium, quos in feodo dicti Radulfi Postel, scilicet in predictis quinque acris, sibi et heredibus suis retinuit per quos sex solidos ipse vel heredes sui pro illis habendis in illis quinque acris justiciam facere possent. Concesserunt insuper predicti monachi sepedicto Guillelmo Pullo et heredibus ejus quod super dicta quitacione quam eidem fecerunt, sicut supradictum est, ipsum vel heredes ejus, per cartam vel instrumentum quod habebant, sive per aliud, non vexabunt de cetero, neque per alium vexari facient. Prefatus siquidem Willelmus Pullus, morte preventus, conventionem predictam, sicut fide interposita ex utraque parte fuerat compromissum, non sigillavit. Almaricus vero, filius ejus et heres, hanc eandem conventionem et pacem voluit et concessit et fide interposita tenere promisit. Nos quoque, ad petitionem tam predictorum monachorum de Noa quam Almarrici Pulli, filii quondam Guillelmi Pulli, predictas conventiones sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato, salvo jure nostro, confirmamus. Actum apud Paciacum, anno Incarnationis Dominice M° CC° septimo, regni vero nostri anno vicesimo septimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Guidonis buticularii ; signum Mathei camerarii ; signum Droconis constabularii. Data, vacante cancellaria, per manum fratris Garini.